



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Admirandvm vindictae divinae theatrvm

Tympe, Matthäus

Monasterii Westphaliae, 1611

V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51314)

OB VESTIVM LVXVM DIVI-
nitur puniti.

vi. in loco
de Parenti-
bus exe. 2.

1.
ep. 16. li. 5.

ob curiosi-
tatem orna-
tus puella
patuit de-
moni per
maleficum
immissio a-
pud Hiero-
in vita S.
Hilar.

Amictus
amatorius,
hoc est, de-
licatus &
mollis.

2.
ca. 7. p. 7.

Petrus Damianus Cardinalis epist. ad Lan-
dolphum: Memini plane, ait, cum apud
Parmense oppidum liberalium artium studium
docendus insisterem, clericus quidam nomi-
ne Teucolinus pellicem suam iuxta meum ha-
bebat hospitium, aspectu lubricam & inhon-
estam satis, decore venustam, Hic itaq; nitidus
& semper ornatus atq; conspicuus incedebat
ita ut caput eius nunquam nisi gabelica pellicem
obtegeret, indumenta carbasina atque niues-
tia fuligo per artem fullonis inficeret, calcei
postremo ad aquilini rostri speciem non simi-
leret. Affluebat ubiq; delicijs, rugiebant con-
flammantia quotidie cachinnis atq; ludibrijs,
oculorum nutibus, ac scurrilitatis illecebrosi-
festiui applaudebant. Hi cum per quinque ses-
annorum lustra in hac luxuriosa voluptate
vixissent, ante annum, cum commune civi-
tis flagraret incendium in vna domo reperit
trique simul igne consumpti sunt.

Thomas Cantipratanus lib. 1. Apianus prope
nostra tempora, ait, fuit mulier nobilissima,
Maria Campaniae comitissa, haec comitissa
nobilissimo Henrico Campaniae comiti, filia
fuit Ludouici regis Francorum, Philippi
regis soror aequae regis Francorum. Haec
multis annis mortuo marito cum pompa
summa ambitione circueiens, moriens talem

neſi ſortita eſt. Laborans in extremis, Abbatem Perſaniæ ſanctiſſimum ac eloquentiſſimum virum migratura venire mandavit. Qui vt venit intromiſſus non eſt, & præforibus exſpectavit. iam enim Comitiſſa deceſſerat, & diſtrahēbantur à militibus & miniſtris, & ſuis omnibus vtensilia, vaſa aurea & argentea, veſtes pretioſæ, cilicitręque purpureæ, & tandem linteamina ipſa cum peplis. Extremo quidam ex garſionibus mora nimia retardatus lectum per cornua comprehendit, & reſupinatum corpus emortuum eminus in ſtramenta deuoluit. Moras autem Abbate cum tædio ſuſtinate, quidam nobilis ex circumſtantibus indignatus oſtium violenter infregit, & virum venerabilem intromiſit. qui cum introiſſet, & nobile illud corpus nudum in ſtramine reperiſſet, volente quodam ex familia illud ſtraminibus operire, Abbas exempli prouidus non ſinebat, ſed libera voce clamabat, ô vos omnes, venite, cernite pompam nobiliſſimæ Comitiſſæ Mariæ, videte illud delicatiſſimum corpus, quanto dedecore pudoris deuolutum eſt. Videte quid ei pro multiplici honore & gloria mundus finaliter exſoluit, &c. 4. Reg. 9.

Iezabel punitur, &c.

LI 2

VIN.

VINDICANTES INIVRIAM
puniuntur.

1.
Sur. 9.
Febr.

GRauiter à Deo puniti sunt multi in hoc sæculo qui offensam obstinate condonare noluerunt. In vita S. Nicephori martyris dicitur: inter hunc Nicephorum & Saprimum presbyterum quondam familiares, orta fuit similtas. Nicephorus prior per amicos ter quaterve reconciliationem petiuit, cum non succederet ipse supplex veniam à Saprimum rogat, sed frustra. orta mox persecutione à Valeriano imp. Saprimum delatus fidem fortiter confitetur, tormenta varia sustinet, sententiam capitalem accipit. Hoc audito Nicephorus ei ad supplicij locum ducto in viam currit, prostratus ad pedes eius, veniam & caritatis osculū petijt. Facit hoc bis terve, adeo ut lictores pagani eum quasi stultum deriderent qui tam anxie veniam ab homine sceleris morituro postularet. at Saprimum ne verbum quidem ei respondet, ne quidem in ipso supplicij loco & puncto. Cum ergo à Carnifice Saprimum iuberetur genua flectere ut caput amputaret, dixit licitoribus. Nolite me ferre, & Dijs sacrifico. Hoc audito, Nicephorus multis verbis & lacrymis eum rogat, ne sic seipsum æternum perdat. Sed eo persistente exclamans Nicephorus. Ego sum Christianus, me pro ipso ferite. Lictores ergo re tota ad Prætorium confestim delata, & ab eo potestate accepta

miserum Saprimum dimiserunt, qui fratrem non respiciens Christum negauerat, Nicephorum vero martyrij gloria, amputato eius capite, coronarunt. In hoc exemplo videmus mirabili iudicio Dei, eum qui offensam prior condonauit fieri martyrem, qui vero condonare noluit, ex martyre iamiam futuro fieri apostatam.

Thomas Cantipratanus, Venerabilis, inquit, Iacobus de Vitriaco, crucem Hierosolymitanam ob salutem multorum in Brabantia prædicauit. Contigit autem, vt pacificaturus quadã die mortales inimicitias, iniuriam passum, primo suppliciter: deinde prostratus pedibus eius, semel iterum, & tertio cum multitudine populi præsentem rogaret, nec proficeret in rebellem. Conuersus igitur ad populum dixit: palam omnibus cõtestor vos, quia qui spernit nos, spernit & eum qui mittit nos. Rogate ergo Dominũ, vt tale signum ostendat in hominem obstinatum, quo cunctis præsentibus pateat eum hostiliter contra se in retentione odij contra proximum hoc egisse. Nec mora. vbi vir sanctus orationem expleuit, miser ille euersis oculis, semel iterum, & tertio in terram corruit, oreq; cruorem spumans & saniem, horroris maximum spectaculum & piaculum omnibus præbuit. Tunc stente populo vir reuerendus susa prece prostratum erexit, qui mox integerrimè sospitatus, vbi ante se inimicum vidit quasi aliquid

2.

lib. 2 ca.

18. p. 2.

Luc. 10. 16.

amicissimum rogaturus cū lacrymis veniam
petiuit, ruensq; in oscula eius ad lacrymas &
laudem Christi omnium corda commouit.

*VOLVPTAS CARNALIS
punitur.*

1. Horat. li. 2. ep. Sperne voluptates nocet emp-
ta dolore voluptas.
2. Hieron. lib. 2. contra Iouin. Quamdiu ieiunauit (Adam) in Paradiso fuit, comedit & eiectus est, eiectus statim duxit uxorem qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur.
3. Esau vno ferculo primogenita sua vēdidit.
4. Hieron. epist. 22. in delicijs Salomon fuit forsitan ideo corrui.
5. Petrus Damianus ad Blancam Comitissam Ducis Venetiarum vxor, ait, quæ erat Constantinopolitana, tam delicatè viuebat, vt etiam cōmunibus aquis sese indignaretur abluere, sed eius serui rorem celi satagebant vndiq; colligere, ex quo laboriosum satis balneum procurarent. Cibos quoq; suis manibus contingebat, sed ab eunuchus alimenta quæq; minuta concidebantur frustra. quæ mox in quibusdam fuscinulis aureis atque bidentibus ori suo liguriens adhibebat. Eius poro cubiculum tot thymiamatum aromatūque generibus redolebat, vt & vobis narrare dedecus fatear, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo, quantum huius scēnæ exosa fuerit superbia manifesta docuit vificendo censura. Vibrato quippe superentia

diuini mucrone iudicij corpus eius omne cō-
putruit ita vt mēbra corporis vndiq; cuncta
marcescerent, totumq; cubiculū intolerabili
prorsus fœtore cōplerent, nec quispiā tātam
perferre narium iniuriā potuit, non cosmeta
nō seruulus, vix vna duntaxat ancilla, non sine
speciei redolentis auxilio in eius obsequij se-
dulitate permāsit. Eadē tamē raptim accede-
bat & protinus fugiēs abscedebat, diutius enim
hoc lāguore decocta & miserabiliter cruciata
amicis quoq; lētātibus diem clausit extremū.

Preces matutinas accessurus vir pius & san-
ctus, cœnopolīū præterijt, in quo iuuenes qui-
dam cōporationibus & lusibus iam totam no-
ctem triuerant, & inter iurgia & rixas atroci
blasphemia Deū offenderant, Cum ergo pau-
lulum ille perrexisset, cōspexit hominē fœde
per totum corpus vulneribus laceratum: ad-
mirabūsus accedit, à quonam fœde adeo fau-
ciatus sit sciscitatur? Respondet iste, se à iuue-
nibus istis qui in cella vinaria ludant tetrīs
adeo vulneribus affectum. E vestigio itaq; il-
le in cellam vinariam descendit, grauibuscūque
verbis iuuenes percontatur, quam de caus-
sa miserum hominem foris in platea iacen-
tem fœde adeo lacerarint? Attoniti iuuenes
respōdent, neminem in cella vulneratum per
eam noctem fuisse, se solos perpetem noctem
ludo duxisse, interim cū eo egrediantur visu-
ri, quisnam esset ille qui vulneribus cooper-
tus foris iaceret; Sed nusquā ille reperiebatur.

Ll 4 itaq;

5.
Ioan. He-
rold alias
discipulus
in prom-
ptuarij
exempl. lo-
co de Bla-
sphemia.

Refer ad
locos de E-
briet de A-
leat. & de
Blasph.

itaq; animis turbati, prorsus credere, sese horrenda sua blasphemia Christum quasi de nouo excarnificasse.

6. *idem Discipulus de temp. ser. 1.6.* Oenopola quidam promiscuam impiorum militum, scurrarum, prædonum, scortatorum turbam hospitio souebat, eorumque lusibus, blasphemie, turpitudini, impudicitie, choreis indecentibus vltro applaudebat, vilissimi lucelli gratia. Tandem cum die quadam dominica vinum e cella deprompsisset, & astans foribus plurium hospitem aduentum expectaret, licet hospitibus iam referta esset domus. Ecce turbo subito exortus magno impetuum sublatum per aërem e conspectu omnium abstulit.

7. *Delicias comitantur peccata alia.* In die Ioannis Baptistæ, in pago Oster, qui (vt ait Andreas Hondorffius hæreticus, in suo promptuario exemplorū) est sub ducatu Magnopolensium, nuptiale celebrabatur conuiuium, cui mulier quædam effrenatæ malitie intererat, quæ horrendis suis execrationibus per totos continuosq; dies durantibus, diabo sese in adoptionem quasi mancipabat, nihil sibi cum Deo commercij esse clamitans, Satanae & corpore & anima se esse mancipium. Quam furialem eius insolentiam, & viri & foeminae, parochus ipse, & Prætor cum duobus qui aderant fratribus grauius reprehenderunt, eamque vt ab huiuscemodi execrationibus desisteret sedulo hortati sunt. Sed nihil illa, nec admonitiones, nec increpationes

rans, tamdiu in sua impietate perstitit, donec
Satanæ plena in ipsam à Deo daretur potestas.
Cum ergo omnes animo essent securissimo,
totaq; atria lætitiæ personarent vocibus, Sa-
tanæ præsto fuit, arreptamq; mulierem &
corpore & anima cum horrido mugitu sub-
limem abduxit, eoq; clamore & laments cir-
cum pagum circumuexit, vt omnes pagi inco-
læ terrore percussis prosternerentur, & qui-
dam subito anxietate & metu quasi suffocati
extinguerentur. Cumq; aliquandiu cum mi-
sero eiulatu atrocibusq; tormentis eam in æ-
re circumegisset Satanæ, in quatuor deinde
partes corpus discerpit, easq; per quatuor cir-
cum pagum vias affigit, vt omnibus qui præ-
terirent punitæ blasphemix exemplo essent.
Deinde ad conuiuas reuersus, intestina mulie-
ris in mensam cui assidebat Prætor projicit,
En, inquit ad Prætorem, hæc tibi debentur
fercula, te eadem cum isthac muliere manent
fata, nisi ab execrationibus subditorumq; ex-
pilationibus desisteris.

*VIRGINES SACRÆ ADEVNTE
balnea puniuntur.*

S Prosper Aquitanicus narrat virginem
quandam in balneis à dæmone esse arre-
ptam, ob curiosam corporis sui cum statua
Veneris collationem. Cæsar Baronius anno
Chr. 713. Prolixe refert quomodo in sacram
virginem balnea aduentem dæmon sit ingres-
sus.

L1 5

fus.

1.
lib. de die
mid. temp.
c. 61.
2.
vi. in loco
de Luxuria
exemp. 20.

- epist. 7. sus. Recte ergo S. Hieron. ad Latam: Mihi omnino, ait, in adulta virgine lauacra displicent, quæ seipsam debet erubescere, & nudam videre non posse. & ad Rusticum: Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis ieiunorum frigore cupit extinguere. Laudat hinc Paulam, quod cum alijs monialibus degens, balneis nunquam sit vsa nisi periclitans ac necessitate coacta. Sicut enim theatra (quod ait Tertull. de spectaculis) loca esse solerent ubi prauus dæmon insideret, ita balnea.

VOTI REA FOEMINA
punitur.

I. **A**Egra quædam mulier & vehementer affecta pro quolibet sui corporis miraculo. S. bo sanctissimæ Dei matri munusculum vouerat Germani, quotannis persoluendum, & ad virginalem Haymone quandam basilicam religiose deferendum. Vouerat autem pro sua facultate tantum quantum semidenario posset comparari. Neque enim paupertas liberaliorem esse permiserat. Enimuero. Christi ferijs à morte se uocantis lætissimi occasione diei voti uacantiæ, quod comederet, emit obsonium. Cum autem noctis tenebris quiescendi causa cubuisset, manibus, quæ votum violatum ita repente contrahitur, nihil ut posset effugere, sic enim diuina ultio dextram sinistramque foeminae in voto soluendo negligenter

intorserat, vt intimas palmas exorti, produ-
cti, ac prominentes vngues non modo per-
pungerent, sed etiam perforarent, sed orta &
terris & animo luce cum ad S. Germani Pari-
siensis Episcopi celebrem miraculis tumu-
lum adijisset ac delicti pœnituisset. sana regre-
ditur, Regina cæli curante, & Germanum ad
miraculi partem aduocante.

OB VOTA VIOLATA ET OB A
statu Religioso defectionem grauius
puniuntur diuersi.

Vxor Loth
Gen. 19. 26
Ananias &
Saph. act.
5. 1.

Gregor Quidam, ait, S. Benedicti mona-
chus mobilitati mentis deditus erat &
permanere in monasterio nolebat. Cumq; e-
um vtr Dei assidue corripere, & frequenter
admoneret, ipse vero nullomodo cōsentiret
in congregatione persistere atq; importunis
precibus vt relaxaretur inueneret, quadam die
idem venerabilis pater nimietatis tædio affe-
ctus, iratus iussit vt discederet. qui mox vt
monasterium exijt contra se assistere aperto
ore draconem in itinere inuenit, cumque e-
um idē draco qui apparuerat deuorare vellet,
cœpit ipse tremens & palpitans magnis voci-
bus clamare dicens; Succurrite, succurrite,
quia draco iste me deuorare vult. Currentes
autem fratres, draconē minime viderunt, sed
tremētē atq; palpitātem monachū ad mona-
steriū reducerunt, qui statim p̄misit nunquā
se esse

2.
2. dial. c. 25

se esset à monasterio recessurum, atq; ex hora eadem in sua promissione permansit. quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo sequebatur.

3. Idem ep. ad Rusticianam patritiam: Dum
li. 9. ep. 38. in natalitio Apostoli Andreae iam meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem & à præsentibus alienum, nihil quod foris agi poterat sentientem. Eumq; in manibus leuauerunt. atq; ante altare S. Andreae Apost. proiecerunt, ipsique pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus quid passus fuerat cōfessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem rugum ad eum dilaniandum dimisit, dicens quare fugere voluisti de monasterio illo cumq; euadere de canis moribus nullo modo potuisses venerunt quidam monachi & eodem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. qui etiam confessus est quia eo die quod statim pertulit cōsilium habuerat de eodem monasterio fugere.

4. Ibidem ait: Alius monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit, cumq; hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi

sed statim dæmonio traditus vehementissime vexatus est. Reinquiebatur vero à dæmonio, si extra oratorium stetisset, & nihil patiebatur aduersi. Si vero conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumq; hoc sæpius fieret culpam suam cõfessus est, quia egredi de monasterio cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres sese per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est ut ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum dum vexaretur vidisse, seq; ab eo increpatum esse cur voluisset abscedere? Plura exempla habet B. Petrus Damianus lib. 2. ep. 15. li. 4. ep. 17. li. 5. ep. 16.

Cum quidam aliquando Franciscani ordinis votum suscepisset postea vero mutato cõsilio factus esset Canonicus, post paucos menses in morbum lethalem incidit, quam ob causam admonitus à suis de anima per confessionem expianda, respondit, nil opus esse, quoniam ostensum sibi esset, se esse damnatum, quare ne amplius sibi molesti essent quia non posset confiteri. apparuit enim mihi, inquit, Dominus iratus dicens, vocaui, & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni, quo dicto exspirauit.

Delrius: Votum, ait, virginitatis & monasticam vitam cum inceltis nuptijs mutarat quædam propinquorum impulso non impune. nam coniuncta est cum viro nequam, neq; dese-

5.
Antonius
nus 3. p. tit.
24. c. 9. §. 7.

A En. 4. Facilis descensus auerni.
Prou. 1. vocaui, & c.

6.
disq mag.
lib 6. ca. 2.
scat. 3. q. 3.

deserebatur vnquam ab angore cōscientiæ, ita miserè viuebat. Cum affligeretur aliquando his curis & careret solatio, domo egreditur, mox dæmonem cū ingenti terrore cōspicit, fugatq; cruce obiecta. Sed confestim tamen, nō secus ac furijs iēta, quoduis facinus immane meditatur. inter micabat in his tenebris, liquid lucis. Cōfugienti ad preces, vt ad exitum solis nebula, timor abcessit, subit cogitatio cōfessionis & recordatio fidei violata, in mium hoc seminarium malī. Cum accessisset ad ædem multo magis cum perumpere cōnaretur ad sacerdotem, à confessionibus trahebatur quasi manu iniecta, donec tandem aliorum auxilio exemploq; & seipsam & malum dæmonem vicit.

Miseriā
per fugium
in portu
confessio
nis inue
nit.

7.
circiter
año 1260.

In fratrum Minorum historijs legitur de quodam qui à Satana victus cum ordinem & domum deseruisset, sequuti sunt eum tres duo charitate adacti, vt redditum perderent, quorum is consilia dum obstinatisimè reijceret, viderunt atrum canem mīro illi imminentem, eoq; spectaculo terreti exclamare cœperunt, vt caueret à tantiformi bestia, is vero eo magis insaniens habitum exuit, procul abiecit, in fugam se dedit. Ecce autem paucis confectis passibus, monstrum illud, quod hætenus dum habitum gestaret, nocere non potuerat, potestatem accepta in eum insiluit, & ad terram ductum strangulauit tam subitò, vt

tres illi accurrentes mortuum iam repere-
rint.

P. Platus lib. 3. de bono status religiosi ca.
37. constat, ait, cum duo Societatem nostram
reliquissent in qua aliquandiu vixerant, alte-
rum paulo post aliquot plagis occisum esse,
alterum robustissimum & integerrimum, in
ipso iuuetutis flore, feбри extinctum, in cuius
cadauer cum efferretur quidam item è nostris
incidēs, quem eo ipso tempore demon ad de-
fectionem sollicitabat, ita est exterritus, vt sta-
tim omni tentatione abiecta, in religionis cur-
su cōfirmatus sit. Tertius etiā nouitius à ppin-
quo seductus post dies paucissimos, quos, vt
excæcatus. In popinis & compotationibus &
in omni licentia egerat, cum inter alios mul-
tos vna cum suo seductore ad manus cum inti-
micis venisset, in tāta gladiorū euaginatione,
hi duo soli vulnus acceperūt, quod initio qui-
dem, vt videbatur, leuissimum, postea tamen
ita incruduit vt vtrumq; extinxerit, & qui-
dem eodem die, sed non eodem euentu. Nam
qui vocationem reliquerat, vtpote nocētior,
subito vocem ac sensum perdidit, itaq; mor-
tuis est, vt neq; confessione expiari, qua sane
indigebat, nec alijs sacramētis muniri potue-
rit. Ac eodem pene tempore alius in media lu-
uētute validis febribus cōsumptus, quāquam
sacramētis omnib⁹ acceptis, vociferari tamen
nō cessauit se dānatum esse, à quibus clamori-
b⁹ nullius adhortatiōe deduci potuit. Fœdus
vero

8.

9.

10.

11.

12.

13. vero & miserius alter, qui non toto anno post hunc nostrum ordinem desertum exacto, plumbea glande traiectus interiit. Nec minus miserabile quod sacerdoti contigit, qui cum in eadem esset causa, à suo ipsius villico propter Zelotypas quasdam suspiciones ligno mactatus est; & alteri qui in insaniam verius in communem cisternam se proiecit, ex qua post biduum casu extractus & agnitus, totam eam ciuitatem consternauit, nemine dubitante quin id euenisset ob vocationem relictam.

14. Denique eodem fere tempore alius quoque qui à Societate hac nostra adhuc quidem inuitius defecerat, ita deinde flagitijs mergi coepit vt ad extremum infami supplicio sit abictus. quo cum ducendus esset, post peractam cuidam nostro confessionem multa etiam didit in dolore, seipsum inculans, quod perdidit hunc (sic enim appellabat) reliquum sibiq; visum esse cū religiosam vestem eius Christum exuisse; simulq; peccatis omnium ianuam in se patefecisse.

OB VSURAS DIVINITVS
castigati.

7.
lib. 1. c. 22.
part. 4.

Thomas Cantipratanus in apicario in porta frontis Ecclesie Cathedralis in Gallia imago usurarij sculpta de lapide desuper cum sacculo pecunie euidentius præmittitur vt autem quidam maximus & ditissimus

rarius ciuitatis Ecclesiam quadam vice debuit intrare per portam imago prædicti vsurarij desuper cadens capiti intrare conantis illisit, & repente contritus turpiter exspirauit.

Vidi & ego ipse in Brabantia partibus vsurarium nequam valde qui multos nobiles & potentes exhæredauerat, & ipsos pauperes spoliauerat supra modum. Hic frequenter occurrens religiosis, rogabat quasi cum lacrymis pro se orari, sed in nullo penitus se correxit. Cumq; super hoc eum frequentius arguissem, nec tamen in aliquo profecissem, accidit vt repentina infirmitate correptus ad exitum appropinquaret. Et ecce subito duodecingentes tenebrarum canes lectum iacentis circuitibus ambiebât, ipse vero protracta lingua ad longitudinem prope pedis dehiscens horribiliter exspirauit.

Accidit nostro tempore vt certissima relatione didicimus in Vacellensi monasterio, vt congesta cuiusdam defuncti sceneratoris de Atrebato pecunia in ipso cœnobio seruaretur. igitur die quadam cum ille famosissimæ sanctitatis monachus frater VValtherus de Beaumont iuxta scrinium in quo pecunia seruabatur oraret, desuper diabolus sedere vidit. Territus autem ad horam, sed signo crucis munitus interrogat: Quid hic sedes, quid hic expectas nequissime humani generis inimice? cui ille, Bene, inquit, & iuste hic sedeo, hoc quod meum est conseruando. Néc mora

Mm mo-

2.

Par. 5.

3.

c. 26. par. 4.

monachus ad Abbatem currens quid vidisset
exponit, Abbas vero in Atrebatum pecuniam
cum omni velocitate remisit.

4.

Cæsarius libro 2. miraculorum c. 39. in ci-
uitate, inquit, Metensi vsurarius quidam de-
functus est, avarus nimis. Qui cum moriturus
esset supplicauit vxori suæ vt crumenam de-
narijs refertam iuxta se poneret in sepul-
chrum. quod cum illa fecisset, quanto secre-
tius potuisset, tamen latere non potuit. Ace-
dentes ergo aliqui sepulchrū latenter aperue-
runt, & ecce duos ibi cōspiciantur bufones, v-
num in ore crumenæ, alterum in pectore. ille
denarios in ore de crumena extrahebat, iste
suscipiens extractos cordi eius immittebat, &
si diceret: nos pecunia satiabimus cor tuum in-
satiabile. quibus visis illi timore perculsi ter-
ram reijcientes fugerunt. Quid putas animam
huius pati in inferno à vermibus immortalibus,
si tam horrenda in eius corpore demon-
strata sunt in sepulchro?

5.

Cap. 41.

Addit de famosa, vt loquitur, vsuraria, que
cum moritura esset campum totum coruis &
cornicibus vidit repletum, & clamauit forte-
ter. Ecce modo appropinquant foris ad me, &
adiecit, O vx, o vx, modo sunt in tecto, modo
in domo, modo pectus meum laniant, modo
animam meam extrahunt: sicque cum vultu
tu efflauit spiritum à dæmonibus ad inferna
educendum: qui eadem nocte corpus de se-
retro multis qui aderant videntibus tollen-

tes vsque ad tectum leuauerunt, & cum trabi impingerent iuxta limen ostij illud cadere sistentes confregerunt. Extincta sunt luminaria, fugerunt homines mane in iam dicto loco corpus reperientes, quod bestiali sepultura tradiderunt.

S. Bernardin. Senensis: Legitur, inquit, de vsurario quodam quod nocte quadam post splendidam coenam cum dormiret in lecto cum vxore sua subito expergefactus exilierit de lecto, cum autem ab vxore sua quid haberet interrogaretur, ait, modo raptus fui ante iudicium Dei, ubi tot & tam terribilia sunt opposita contra me, quod nec sciuī nec potui respondere: cumque fuerim diu ad poenitentiam expectatus nec hucusque volui diuinis praecipis & bonis inspirationibus obedire. audiui nunc iudicem contra me sententiam protulisse, meque datum audiui potestati daemone, qui me hodie ad aeterna supplicia asportare debeat. Quo dicto de perticavi veste assumpta domo rabido cursu egressus est; quem sui hinc inde quaerentes in quodam monasterio monachorum matutinum cantantium inuenerunt. Cunctis igitur eum ad poenitentiam inducentibus, nec proficere valentibus, ratione, aut exhortatione, vel precibus, custoditus est diligenter vsque ad sextam horam. Denique cum eius consanguinei domum illum reducere vellent, & ad quandam fluuium per cuius pontem transiret erant perueniret; viderunt nauim quandam rapido cursu ascendentem a nullo, ut videbatur, condu-

M m 2 etiam, sed

6.
ser. 43. art. 2
cap. 3.

sed ab usurario plena dæmonibus visa est, qui, ut ait, ideo venirent ut eum ad æterna supplicia asportarent. Quo dicto statim violenter de manibus eorum à dæmonibus rapitur, & in nauem proijcitur, & cursu rapido retracta subito disparuit, cum dæmonibus & præda, præfata nauis.

7. Bredenb. Narrat virgines, quæ salem sub
lib. 6. c. 25. usuris mutuum dedere, dirè à dæmonibus
maleficio immisissis esse vexatas.

8. In Episcopatu Coloniensi famosus quidam
Discipulus scelerator sordidè auarus cum graui morbo
in promp. pressus decumberet, os labiaq; vltro citroq;
exempl. commouit, non secus ac si cibos intra dentes
manducando cõminueret. interrogatus quid
nam manderet, pecuniam, inquit, mando.
Nam coram astare mihi Satan videtur, pecu-
niamq; violenter in os ingerere, quam velin-
uitus mandem & deglutiam. in qua tentatio-
ne misere tandem periit.

9. Alius quidam scelerator cum mortem in-
idem stare animaduerneret, quidquid habebat ar-
scr. 118. genti & auri afferri sibi iussit, animamq; suam
alloquutus: Hęc omnia, inquit, anima mea, tibi
tradam si me deseruere nolueris. Cum ve-
ro dolores crescerent, fatalisq; hora propius
jam vrgeret, age, inquit, anima mea, quoniam
hinc excessura me derelinquere prorsus con-
stituisti, te ergo cõmendo Satanæ, qui te hinc
in abyssum inferorum abripiat. Quæ verba
cum protulisset extinctus est.